



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiaë,||**

**Molanus, Johannes**

**Antverpiae, [1592]**

De bellis aßiduis quae pro tuenda Ecclesiae auctoritate administravit  
Mathildis Lombardiae & Tusciae Dux, Canusijq[ue] Comes, vidua Godefridi  
Gibbosi Ducis Lotharingiae. Cap. XLVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38114**

succedit filius eius Godefridus Gibbosus, et si corpore exiguus, tamen animo eximius.

ad annum  
1076.

Qualis in militia fuerit pulchrè explicat Lambertus Scafnaburgensis. Licet, inquit, naturæ pusillitate atque gibbo despicabilis videretur, opum tamen gloria, & fortissimorum militum copia, prudentiæ quoque maturitate, postremò totius vitæ temperantia longè ceteris Principibus supereminebat: magnum Teutonici regni robur ac munimentum Werdunis iuxta patrem sepultus.

Et infrà de eius vxore loquens, Mathildis, filia Bonifacij Marchionis & Beatricis Comitissæ, quandam viduitatis speciem eo viuente prætendebat, cum nec ipsa maritum in Lotharingiam extra natale solum sequi vellet; & ille Ducatus, quem in Lotharingia administrabat, negotijs implicitus, vix post tertium vel quartum annum semel Marcham Italicam inuiseret.

*De bellis assiduis quæ pro tuenda Ecclesiæ auctoritate administravit MATHILDIS Lombardiæ & Tusciæ Dux, Canusijq; Comes, vidua Godefridi Gibbosi Ducis Lotharingiæ.*

C A P. X L V I I.

Mathildis  
vidua XI.  
Ducis Bra-  
bantie bene-  
ficiarij.

**S**ED nec ea omittenda sunt quæ pro Ecclesia præclarè gessit Domina Mathildis, marito suo Godefrido viduata. Siquidem Carolo Sigonio teste, die vigesima quarta Iulij, anno C I D. C. X V. in Polirone monasterio,  
inter

inter Padum & Larionem, diem clausi extremum matrona potentissima, non egregia solum pietate ac religione omnium & sui & superiorum seculorum mulierum praestantissima, sed publicis etiam operibus, arcibus, pontibus, vijs, templis, monasteriis in Lombardia exstructis, bellisque assiduis pro tuenda Ecclesiae auctoritate administratis, singularibus laudibus in perpetuum celebranda. Quae, gliscente inter Gregorium & Henricum discordia, Lombardiae & Tusciae dittonem sancto Petro donauit.

*De sacris conatibus ROBERTI cognomento Frisy, filij Balduini Comitis Flandriae, cognati Comitum Louaniensium & Ducum Lotharingiae, qui obiit Comes Flandriae.*

C A P. XLVII.

EODEM tempore claruit Robertus Flandrensis, cognatus Ducum Lotharingiae & Comitum Louaniensium. Cuius quinam fuerint sacri conatus, dicam verbis Lamberti Scafnaburgensis, qui in chronico Hirsfeldensi ad annum **MDLXXI.** sui temporis gesta describens, haec inter alia commemorat.

*Cognatus  
xi. & aliorum  
beneficiorum  
Ducum  
Brabantiae.*

In Balduini comitatu eiusque familia seruabatur quasi sancitum lege perpetua, vt vnus filiorum totius Flandriae principatum solus haereditaria successione obtineret: ne in plures diuisa prouincia, claritas illius familiae per inopiam rei familiaris obsolesceret. Igitur